



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

Concilivm Africanvm Svb Zosimo. Anno Christi CCCCLXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

Vnde hoc inuicem scriptum ad vestram transmifimus caritatem per fratrem & coepiscopum nostrum Numunianum. Bene valete, fratres, & ad latus, xvi. Kalendas Decembris, Honorio vii. & Theodosio viii. consulibus Augustis.

DECRETVM
EIVSDEM ZOSIMI PAPÆ
EX GRATIANO DESVPTVM.

Apostolica sedis auctoritas contra sanctorum statuta aliquid condere non valet.

Huius Canonis expositionem vide 25. quæst. 1. Sunt quidam dicentes.

CONTRA statuta patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui Decreta patrum sanxere reuerentiam.

CONCILIVM AFRICANVM
SVB ZOSIMO.

Anno Christi ccccxviii.

Huic consentit alius quidam per uetustus codex.

In uetusto quodam codice monasterii sancti Bauonis in Gandauo, insignis Flandriæ urbe, tale habebatur initium:

HONORIO Augusto xii. consule Kalendis Maiis, Carthagine in basilica Fausti, cum Aurelius episcopus simul cum Donatiano Teleptensis primæ sedis episcopo prouinciæ Byzacenæ, & aliis ducentis * tribus coepiscopis suis, tam ex prouincia Byzacena, quam Mauritania Stipensis, Tripolitana, Numidia, Mauritania Cæsarensi & Hispania, in Concilio confedisset, adstantibus diaconibus, placuit omnibus in sancta Synodo Carthaginensis ecclesiæ constitutis, vt quicumque dixerit, Adam primum hominem, &c. vt infra in Concilio sub Bonifacio, Can. 76.

ANNO CHRISTI 418.

* quatuordecim, & amplius, vt ait Mariani Saceris sub anno 419.

Verum in codice impresso Moguntia in ædibus Ioannis Schœffer, circa annum 1525. atque secundum exemplar Anglicanum uetustissimum monasterii Vintoniensis, tale fuit initium:

ANNO
CHRISTI
418.

GLORIOSISSIMIS imperatoribus, Honorio XII. & Theodosio VIII. Augustis consulibus, Kalendis Maiis, Carthagine in secretario basilicæ Fausti, cum Aurelius episcopus in vniuersali Concilio confedisset, adstantibus diaconibus, placuit omnibus episcopis, quorum nomina & subscriptiones inditæ sunt, in sancta Synodo Carthaginensis ecclesiæ constitutis, vt quicumque dixerit, Adam primum hominem, &c. vt infra in Concilio sub Bonifacio, Canone 76. ac deinceps, vsque ad Canonem 94. inclusiue.

N O T Æ.

**Concilium Africanum.*] Causa habiti Concilii hæc est. Cum Africanani epistolas Zosimi de Cælestio & Pelagio de fide catholica bene sentientium accepissent, ad Synodum Carthagine indictam patres ducenti & quatuordecim, vel septemdecim, vt alibi Prosper scribit, conuenerunt, Honorio duodecimū, & Theodosio octauum consulibus, anno Christi 418. veris initio; quod epistola Zosimi XII. Kalendas Aprilis data, & III. Kalendas Maias accepta significat. Ad mensem Maium prorogatam & continuatam fuisse, Canonum editio indicat. In hac Synodo, ne quid ab aduersariis obiici posset, professi sunt patres, se Decretum Innocentii papæ consecrari atque amplecti, quod circa finem vitæ illius ab ipso promulgatum fuit: idque ideo, vt vno quasi ictu valido vtrumque hæreticū Cælestium & Pelagium confodere, eorumque errores profus extinguere possent. Hanc constitutionem suam, ipsos per literas Zosimo indicasse, testatur S. Prosper aduersus collatorem. *Errauerunt ducenti quatuordecim sacerdotes, qui in epistola, quam suis constitutionibus protulerunt, ita apostolicæ sedis antistitem B. Zosimum sunt allocuti: Constituimus in Pelagium atque Cælestium per venerabilem episcopum Innocentium de beatissimi Petri sede prolatam manere sententiam, donec aperitissima confessione fateantur gratiam Dei per Iesum Christum. &c.* His literis patres Concilii in Africa addiderunt libellum Paulini diaconi aduersus Cælestium scriptum, quo continebantur omnia capita, de quibus Cælestius interrogādus esset, eo fine, vt appareret hæreticūne esset, an omnino, quod profitebatur, catholicus. Zosimus quidem simulantes conatus est lucrari; sed quando eos strictius examen fidei subterfugere animaduertisset, hoc egit, quod in causa Pelagii & Cælestii deinceps actum fuisse describit breuiter in chronico S. Prosper his verbis: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem & septem episcoporum, ad pontificem Zosimum synodalia Decreta prolata sunt: quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Baron. ann. 418. num. 1. 3. 4. 7. 16. &c.

Causa Concilii.

Quo tempore habitum fuerit.

Acta Concilii.

Numerus episcoporum. Pelagiana hæresis damnatur.